



DE
VARIATIONE PROTESTANTIUM
CIRCA
DOCTRINAM DE JUSTIFICATIONE.

DISSERTATIONIS SCOPUS.

Ad componendam controversiam de justificatione inter protestantes et catholicos ortam utraque ex parte jam olim adlaboratum esse notissimum est. Hac super re scriptis disputatione utriusque partis theologi; haec in colloquiis auctoritate publica inter utrosque habitis summo studio agitata; haec demum in Conc. Tridentino discussa fuit, nec quidquam majores nostri intentatum reliquere, quo litem hanc componere possent. Ast haec pacis consilia tam parum speratum fortita sunt effectum, ut potius iis frustra tentatis utraque pars firmius suae inhaereret sententiae; ita, ut videatur hac ratione potius stabili-

A litam,

litam, quam sotpam esse litem. Hæc si considere-
mus, de reunionis negotio inter protestantes et catho-
licos circa hanc doctrinam merito jam conclamatum
esse videri potuisset. Sed finis hic quominus obtine-
retur, non tam in componenda hac lite difficultas,
quam potius *Lutheri* vehementior indeoles, primo-
rumque asseclarum fervor nimius ac ipse aevi illius
genius impediebat. Exorta enim erat haec contro-
versia eo adhucdum tempore, quo gloriae ducebatur
magis adversario, licet verum afferenti, non cedere,
quam veritati porrigerre manus, hac agendi ratione
Lutherum quam maxime peccasse ipsi protestantes
haud diffitentur.

Non sic protestantes recentiores. Hi sedato
disputationis aestu tranquilliore animo rem indagan-
tes perpensis utriusque partis motivis, potius S. S.
effata secuti, quam *Lutheri* auctoritati adhaerentes,
passim sententias ejus deseruere, atque veritate, quae
antiquiores protestantes tamdiu latuit felicius perspe-
cta, eo devenerunt, ut, si ex recentiorum quorun-
dam scriptis rem dijudicemus, exigua inter protestan-
tes et catholicos differentia circa hanc doctrinam in-
tercedat.

In hanc mutationem, quomodo successive inter
Lutheri asseclas invecta fuerit, inquirere proposui,
quid scilicet *Lutherus* docuerit, indagere; quid con-
fessiones fidei contineant, quid non exigui inter suos
nominis theologi sentiant, et demum, quantum mo-
derni protestantes a catholicis dissent, penitus ex-
aminare; idque eo magis operae pretium esse duxi,
quo minus vero simile olim erat protestantes unquam
ad concordiam hac in doctrina cum catholicis reditu-
ros esse.